



# Disputatio medica inauguralis de angina vera

<https://hdl.handle.net/1874/345771>

2.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**ANGINA VERA,**  
QUAM  
AUSPICE DEO OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**M. JOHANNIS LEUSDEN,**

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri  
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,  
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*  
**PRO GRADU DOCTORATUS;**  
Summisque in MEDICINA Honoribus Prærogativis &  
Privilegiis, legitimè & consequendis,  
*Publica disquisitioni subicit*

**THOMAS DE ROEPER, HORNANUS.**

*Ad diem 4. APRILIS, horis locoque solitis.*



**TRAJECTI ad RHENUM,**  
**Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae**  
**Typographi, clc lcc xciii.**

CLARISSIMO, DOCTISSIMOQUE  
V I R O.

D. D. JOHANNI PRONCK,  
Quondam apud Amstelodamenses Chirurgo praxi  
felicissimo, nunc Vero apud eosdem Medicinæ  
Doctore celeberrimo, nec non fratri meo charissi-  
mo, studiisque meis fautori maximo.

*Clarissimo, Doctissimoque VIRO.*

D. D. . . . . B E S E M,  
Apud Hornanos Doctore Medicinæ celeberrimo,  
ac collegii Orientalis Indiæ librorum curatori.

*Prudentissimo, Cognatoque meo Amantissimo.  
Præstantissimo.*

D. D. CORNELIO VELIUS,  
Apud Hornanos curiæ Secretario vigilantissimo,  
olim apud eosdem scabino æquissimo.

NEC NON  
*Cognato meo plurimum Amando.  
Doctissimo VIRO.*

D. D. . . . . ten T Y E,  
Gymnasii Latinæ Linguae Professore Peritissimo,  
ejusdemque nulli secundo, quondam dum litteris  
incubui, studiis meis fautori maximo.

*Hanc Disputationem Inauguralam offert,  
vovir ac dedicat humillimus*

*ac obsequentissimus vester*

THOMAS DE ROEPER.

# DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

## ANGINA VERA,

THESIS I.



Ulli procul dubio, aliquo tantum modo in arte medicâ versato, qualiter è causâ minimâ effectus persæpe periculosissimi ac pessimi ortum capiant, ignotum erit. Mihi autem pro gradu doctorali disputaturo, Anginam, ex humili non raro casu ortam præ cæteris elegisse sufficiet, quam solam, pro ingenii mei potentia funditus per scrutari, ac à verâ ejus essentia inchoare, menti propositum habui.

I I.

Est igitur Angina inflammatio faucium, musculorumque earundem. Quæ cum rarissime periculo careat, ac affectus sit, peculiari satis attentione dignus, Lectores candidos ad hanc referre non dubitavi.

I I I.

Verum antequam ortus, ac symptomatum ejus causas inquiremus, differentias ejus præmittere, haud inutile videtur. Differentia prima itaque desumitur à musculis affectis, qui varii sunt: sc. vel æsophagi vel laryngis seu asperæ arteriæ. Interni asperæ arteriæ musculi inflammati cynanchen, externi autem inflammati paracynanchen efficiunt: æsophagi musculi interni inflammati synanchen, externi vero parasyanchen constituunt. Differentia secunda desumitur à nothâ & verâ, priori autem sympto-

A 2.

mata

mata non adeo sunt vehementia, non tanta febris, non tantus dolor, neque respiratio adeo difficilis sentitur; in hac vero de qua acturi, graviora symptomata obveniunt.

## I V.

Differentiis itaque, aliisque prænотatis, causæ sequuntur; quibus enumerandis explicandisque, ne diutius inhæreere videar magis necessarias, præcipuasque supputare, atque supputatas explicare decrevi. Præ cæteris igitur magis familiares, nec non Anginam efficere valentes causæ sunt, aer, potusque frigidiores, imo cuncta humida frigida corpus seu potius fauces præter naturaliter afficientia; spina piscis, acus, acicula &c. spinam piscis Anginam produxisse, experiëntiâ haud mihi ignotum, denique sanguis vel acido, vel viscido, aliove humore acri coagulatus seu incrassatus.

## V.

Verum ut singulæ hæ causæ lectori candido magis perspicuæ, clarioreque appareant, palam hic explicatas chartæ imposui. Potus ergo gelidus, cæteraque humida frigidiora, dum corpore calido, sitiendi desiderio ad fauces afferuntur, quædam ex illis subtiliores subsequentiū particularum compressione per faucium, musculorumque earundem poros in sanguinem sub intrant, ramosiores vero eosdem obstruunt, Ita ut hoc particularum quarundam potus frigidi ingressu sanguis minorem motum acquirat, pororum autem obstructione transpiratio impediatur. Quâ ratione materia ætherea ubicunque libere perfluere solita, vias sibi solito magis præpeditas reperiens, omni vi, subsequenti materiæ appulsu transitum sibi quærere cogitur; hinc partim reflectitur, partim nonnullas particulas è situ propellens, inordinatum particularum motum efficit: quoniam tamen materiæ æthereæ influxus continuè perseverat, necessarium fit, ut hæ particulæ magis ac magis sursum, deorsum, lateraliter, aliisque variis modis propulsæ, talem sibi perturbatam mixturam acquirant, ut nec salinæ aquis

lis, neque acidæ oleaginosis amplius unitæ habeantur. Particulæ ergo acidæ ac salinæ ab omni jam vinculo unionis resolutæ; à centro suo confestim declinant, seque in partium membranas impingunt, quo factò, acumine accuspidibus suis easdem pungunt ac vellicant; hinc statim omnia vehementissimum excitantur in motum, hinc furenti equo, ut ita loquar, laxatur habena. Quare hisce in punctationibus ac vellicationibus inflammationem consistere, haud dubitandum.

## V I.

Cum Ratio eadem, de potu gelido, alioque humido frigidiorè, Anginam efficere, valente, data, pro aëre frigidiorè corpus & præcipue fauces præter naturaliter afficiente, hic etiam militare possit, longum non minus forte, quam tædiosum foret, hic velle repetere, quomodo ex aëre frigidiorè Angina produci possit: qua propter ad spinam piscis Anginam quoque efficere vallentem nos convertemus.

## V I I.

Spina piscis igitur inter alios cibos ad fauces delata, mucrone cum valde acuto prædita foret, œsophagi compressione, vasculum quoddam sanguineum partim subintravit; quo factò, sanguinis ad alias partes progressu hic impedito, obstructio confestim data fuit. Hinc sanguinis ibidem contenti quam primum in gyrum motus, nec non materia æthereæ, ut modo de potu gelido explicatum, viam solitam perfluere nequens, sequentis materiæ appulsu, perfringere, viamque sibi parare ad igitur, ast frustra enixum tentans, ab aliis, materiæ ejusdem particulis, continuo etiam in motu existentibus, ac recurrentibus, repulsum patitur, sicque universa corpora ibidem reperta, continuâ inter se fricatione ac luctâ, vehementissimum in motum excitantur, atque ita denuo, uti sat clare explicatum est, inflammatio producitur.

VIII  
Inter præcipuas interne Anginam efficientes causas, sanguinem viscido, vel acido, aliove humore acri in crassatum unam esse existimo: quomodo autem viscido, aliove humore sanguis in crassari possit, philosophis id notum non dubitamus, qui vero Anginam efficiat, hic disputandum recipimus. Sanguis ergo in optimo statu constitutus, ut vasa quæcumque perfluat, nisi forte causa externâ id fieret, viam nullam præclusam reperit, verum acido aut alio humore in crassatus, temporis tractu in vasa quædam angustiora in faucibus earundemve musculis reperta, propellitur, quæ, ob nimiam sui in crassationem, transire nequiens, resistantiam patitur, atque ita obstructio causatur; hic igitur & sanguinis & spirituum animalium perturbatus denuo causatur motus; obstructione ac perturbato illo motu, quomodo tandem inflammatio, imo aliquando gravissima oriantur symptomata, facile intellectui apparebit, ubi præcedentia tantum modo mente percurrere volumus; quapropter ad symptomata, ex hac datâ obstructione immediate oriunda me conferam.

## IX.

Inter quæ febris continua, dolor punctorius, vigiliæ perpetuæ, respiratio impedita, deglutiendi difficultas, suffocationis metus, vox læsa, alimentorum cum tussi peros, vel sursum per nares rejectio, nomine diagnosticorum præcipue computari possunt.

## X.

Animadvertimus, quomodo potu gelido, aëre frigidiorre &c. obstructio ortum caperit, atque ita Mediante materiæ æthereæ influxu sanguis puturbatam mixturam acquisiverit, qui continuo circulationis motu, per varias sanguiferorum vasorum ambages in venam cavam cum reliquo sanguine perturbate simul ingressus, sicque ad dextrum cordis ventriculum delatus, ibidem rarefactionem inordinatam acquirit, ubi materia ætherea eisdem jam enarratos, ac in majori quidem gradu, sortitur effectus, & ita sanguis

guis ille perturbate mixtus ac è ventriculo propulsus, reliquo sanguini arteriali communicatur, hinc universa massa sanguinea perturbatur, quæ perturbatio, vera mihi febris essentia dicitur: febris autem hæc non intermittens, ast continua dicenda est, quoniam causâ ejus remanente continuâ, remanet & illa.

X I. Particulæ salinæ, acidæ, aliæque acres etiamnum aquis ac oleaginosi corporibus involutæ, optimeque unitæ, sensum non facile doloris referunt, ast ubi eadem causâ forte externâ ab unione solvuntur, liberiores existentes, ut supra dictum, à centro suo degenerant, hinc illico lateraliter, recte, sursum, deorsum fluentes, membranas petunt, quas cuspidibus suis continue lancinantes, pungentes, ac vellicantes, dolores hos punctorios generant.

X I I. Vigiliæ perpetuæ plerumque hic observantur, nec mirum ubi causa earum etiam perpetua: punctionibus enim ac vellicationibus; non tantum universa massa sanguinea, procul dubio & ipsi animales spiritus, quocumque perfluere soliti, celerrimum in motum adiguntur, qui cerebri nervos, nec non meninges ejusdem petentes, easdem vehementer intendunt, intensasque retinent. Quo spirituum vehementi per nervos influxu, meningum intensione, dolore, punctionibus excitato, vigiliæ consistunt; quorum duo prima clare percipi possunt, ubi tantum somni causam, è diminutis, vel incrassatis spiritibus, orientem intueri volumus; tertium vero quotidiana nobis experientia satis demonstrat.

X I I I. Respirationem impeditam, ex intumescentiâ musculorum interiorum vel exteriorum laryngis obstructione causatâ, originem ducere, dico; quæ intumescencia viam respiratoriam, ac præcipue asperæ arteriæ partes superiores, laryngem, dico, coarctans, aëris transitum partim impedit,

impedit, in quo totam respirandi molestiam consistere suppono. Jam autem, quo major intumescencia, eo etiam major respirandi difficultas oritur. Quod autem ad deglutendi difficultatem spectat, idem, de respiratione impeditâ, jam dictum, hic etiam referre licet, interveniente tamen partium affectarum differentia, quo enim major musculorum œsophagi intumescencia, eo etiam viâ, alimentorum inventriculum descensui datâ, magis angustentur necesse est. Adde œsophagi contractionem ratione obstructionum pro parte, imo non nunquam totaliter ablatam esse; hinc alimentorum inventriculum ingressus, vel difficilis redditur, aut totaliter impeditur.

## X I V.

Suffocationis metus primariam suam causam, à musculis internis seu externis laryngis obstructione ac inflammatione affectis desumit, quâ de causâ ob partium inter se consensum, muscoli linguæ faucibus propinquoires taliter aliquando obstruuntur, ut intumescencia inde per universas sæpe fauces nata, vix ullæ respirationis materiæ, æris dico, in pulmonem ingressus admitti possit: hinc etiam, licet in minori aliquando gradu intumescencia habeatur, partes tamen voci efformandæ dicatæ, spirituum animalium recto influxu, nec non sufficientis æris per asperam arteriam egressu orbata, vocem debitâ modificatione carentem efformant.

## X V.

Demum, ut symptomatibus explicatis, finem imponamus, unicum, quod hic etiam notatum volui, est alimentorum cum tussi per os ac nares rejectio: fit autem hæc, ubi lingua, seu muscoli ejus taliter obstruuntur, ut vi alimenta in œsophagum propellendi, vel partim vel totaliter privetur; hinc alimentorum diutius circa fauces hærentium æris inspiratione, particulæ quædam in asperam arteriam convectæ, membranam, ejusdem internam irritantes, tussim efficiunt, quare hæ particulæ simul cum aliis ore contentis magnâ vi per os vel sursum per nares rejiciuntur.

Signa

XVI.  
Signa prognostica hujus affectus, ob varias aliquando partes affectas, variæ quoque observantur.

Prima autem ac periculosissima ejusdem species, vere cynanche dicitur: in hac enim muscoli interni laryngis afficiuntur, ac quidem taliter, ut ratione maximæ intumescentiæ ibidem obstructione causatæ, aspera arteria, seu potius respirationis via penitus occludatur, ac inde laborantes non tantum maximam respirationis difficultatem sentiant, verum etiam suffocari videantur. Quo enim major partium affectarum intro expansio, eo etiam respirandi difficultas major. Jam autem respiratione ablatâ, ut in hac fieri posset, nisi remedia respirationem restaurantia otius adhibeantur, vita cum morte commutetur necesse est.

Secunda Anginæ species, licet admodum periculosa sit, paulo tamen minus læthalis, quoniam tumor ex obstructione ortus, ratione musculorum externorum affectorum exterius magis vertitur, interiorē enim respirationis viâ latiore ac liberiore, respiratio quoque liberior existit; hinc minor suffocationis metus.

Tertia species, synanche sc. in minori adhuc periculo versatur in hac enim respiratio, sine quâ vita nostra subsistere nequit, minus impeditur: deglutitio tamen, alimenterum in ventriculum discensui inserviens, non parum hic læditur, neque periculo suo caret.

Quarta denique Anginæ species, omnium levissima ac securissima, est externorum musculorum œsophagi inflammatio, quâ minori non tantum ingradu deglutitio impeditur, verum etiam respiratio ipsa, nisi forte inflammatio major foret, parum læditur.

Cæterum, Angina obsymptomata graviora illi non raro præsentia, curatu est difficillima; quæ etsi curetur, symptomata etiamnum satis gravia, post se quandoque relinquit. Nonnunquam inpleuritidem, peripneumoniam, vomitum, imo in ipsam phtisin conversam fuisse, haud  
B ignotum

ignotum est. Hippocrates ait, quibus ex Angina in pulmonem fit, mali conversio, intra septem dies moriuntur, si vero hos effugerint, suppurati fiunt. L. 5. Aph. x.

## XVII.

Indicationes à morbo, causâ morbificâ, & viribus laborantis desumuntur.

Ante omnia, causam morbificam, medicaminibus convenientibus, auferre tentandum est; hæc enim ablata, cætera facilius sequuntur.

Venæ sectio dolorem levandi causâ, quam citissime instituatur. Sanguinis vero tantum, quantum laborantis vires, ac Medici prudentis iudicium admittunt, exprimitur.

Quies, ratione vigiliæ perpetuæ, commendanda ac inducenda est. Hac enim multum spirituum consumitur. Febris mitiganda est. Si alvus adstricta sit, vel clystere, aliove purgante, relaxetur.

## XVIII.

Curationis scopus, in causâ morbificâ, obstructione sc. referenda, ac in sanguinis mixturâ ad pristinum statum reducenda, consistit, qui leniter fudores promoventibus, optime attingi poterit. Sudorifera ramosa itaque, non autem volatilia adhibenda sunt, quibus non tantum vigiliæ majores fiunt, verum deliria si nondum ad sint, promovebuntur, imo & ipsa Anginæ essentia, inflammatio sc. augebitur.

Parti affectæ ad obstructionem referendam, tollendamque, cataplasma discutiens adhibeatur, verum si malum in abscessum verratur, maturante utendum est. Utroque autem casu linimenta conveniunt.

Pro vigiliis perpetuis, plerumque huic malo præsentibus medicamina ramosiora præscribenda sunt, quarum ope emulsiones amygdalatæ hic optimè conveniunt, præcipue tamen, si, obstructione ablata, vigiliæ consentent.

Garga.

Gargarismata hic, tam ad linguæ ariditatem, ac oris ardorem mitigandum, quam obstructionem referendam conducunt.

Ne fore his immoremur diutius, ad illa, quæ medicina spectant pergimus.

Sequentia itaque Anginæ curandæ conveniunt.

Rad. chinæ, saltæ parill. Scorsoner., contrajerv. angel. bardan. fœnicul. petraselin. apii. dauci. glycirri-  
zæ. consolid. maj. minor. malv. bismalv. cichorei, rus-  
ci. &c.

Herb. absinth. scord. ruth. menth. meliss. arthemis. ab-  
rotan. saly. calaminth. malv. bismalv. samb. cardb. hyssop.  
violar. lactuc. portulac. cichor. &c.

Scm. 4 calid. major. minora. 4 frigida major. minor.  
lini. fœnigræc. bardan. petroselin. hord. althææ. malv. ro-  
sar. &c.

Fruct. Baccar. juniper. laur. &c.

Flor. rosar. bugloss. violar. borragin. sambuc. lavend.  
anthos. stæchad. riliæ. verbasc. &c.

Salia quæcumque fixa, ut sunt prunell. absinth. scord.  
ruth. arthemis cardb. &c.

Terrestria ut sunt. oc. cancr. corall. rubr. cortic. ovar.  
concharum. obstreorum. &c.

Op. crud. laud. opiat. diascord. fracastr. mithridat. the-  
riac. venet. &c.

Ol. nucum. lilior. albor. amygdal. chamomill. anethi.  
Axungia caponis. porc. unguent. althææ Emplastrum de  
mucilaginib. ireos, cumimi &c.

Elixir. vit. proprietatis sine acido.

E quibus omnibus, variæ pro re natâ formulæ componi  
possunt.

X I X.

Sed ubi convenientibus medicaminibus adhibitis obstru-  
ctio non referatur, ac consequenter inflammatio non ces-  
set, venæ sectio reiteretur. Si denuo hæc frustra insti-

tuta fuerit, ac inflammatio magis, magisque ingravescat, ita ut de curatione jam desperatum videatur, ad ultimum tandem, ac raro in usum vocatum remedium, laryngotomiam sc. accedendum est. De quâ auctores legi possunt.

F I N I S.

